

communi rerum divisione *quanta* quoque distingui possunt in *naturalia*, *moralia*, & *notionalia*.

§. 4. *Naturalia* *Quanta* sunt, quæ naturâ constituta sunt in hoc Mundo, ut *potentia*, *extensio*, *gravitas*, *lux* &c.

Quanta *Moralia* sunt, quæ voluntas, impositione vel consensu, seorsim constituit in vita civili, inter quæ principatum tenent 1. quoad res in specie sic dictas, *Pretium* sive pretiositas 2. in genere personarum *Dignitas*, *Potestas*, 3. in genere actionum *Meritum*, cui respondet æquale præmium & *Demeritum*, cui respondet æqualis pœna.

Quanta *notionalia* sunt quæ pro modo cognitionis seorsim constituta sunt in mente cognoscentis. Inter quæ cum primis eminet *Amplitudo* sive *latitudo* vel *angustia conceptuum*, quo spectat tò strictè & latè. Item *Longitudo* & *Brevitas* syllabarum, quo spectant *Accentus*, *Toni*, *Pedes*, *Versus*, tota denique *Prosodia*.

Huc reduci potest valor tesserarum, foliorum chartæ, lapillorum in alea &c. nisi quis ad moralem classem ea reducere malit.

§. 5. Ab his omnibus uti prædicata quædam communissima sunt abstracta, quæ rebus moralibus & notionalibus æquè ac naturalibus tribui possunt, *Transcendentia* vulgò dicta: sic ad eadem quoque se quantitatis in hoc sensu acceptæ ratio extendit, indeque *Quanta* quoque *Transcendentia* dantur, tum *incomplexa*, ut *necessarium*, *contingens*, *unum*, *multa*, *potens*, *impotens*, *verum*, *falsum*, *bonum*, *malum*, *divisum* *indivisum*, *simplex* *compositum*, *cognatum*, *affine*, *simile* *dissimile* &c. De quibus æquè ac de quantis specialibus æstimativè quæri, *quàm?* & responde-
ri *tàm*, *æquè*, *magis*, *minus*, & *solet*: tum *complexa*, ut *Enun-*
cia-